

007  
- 1. Sp

Tom; 74

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
14.  
15.  
16.  
17.



Index Dissertationum.

- |   |  |
|---|--|
| 1. De eo quod abominabile de se est seu<br>Carattere Regis Moralis. Büdely. | 18. De divina independentia. Schroeder.  |
| 2. Admirazione. Ekhard.   | 19. Fluminibus. Volder.  |
| 3. Aphas graeca. Vindring.  | 20. Fortuna. Hundsleben.   |
| 4. Arboribus Paradysi praesentationibus.<br>Mark.                           | 21. Geomantia. Lehms.  |
| 5. Artificiose Naturae artificiosae<br>mulatoris. Mosler.                   | 22. Geometriae elementalis algebrae<br>evolutio. Allbing.                        |
| 6. Artificiosam minuerendi. Eyer.   | 23. Introductio ad Geographiam nimirum et vi-<br>tae. Wesenfeldt.                |
| 7. De Aesopi philosophia. Büdely.   | 24. Initia cultus Germaniae. Sellwig.  |
| 8. Athla convincendo. Hofmann.  | 25. De nominanda per artem Summae<br>maxima. Gakenpöhl.                          |
| 9. Memoriae Matthis Frederici Beckij<br>Lahn.                               | 26. Harpaxoda mechanice operibus<br>balla isfertur ut accum. Kirchner.           |
| 10. De bonis et facultatibus prudenter ad<br>minuendis. Kibitz.             | 27. Hermes Trismegisti introductio<br>cognoscenda. Haanenann.                    |
| 11. Ratione Prohorum. Hermy.  | 28. De frigore optimi Theriacalium<br>in plito. Wajers.                          |
| 12. In cognitione et cultu Dei reali. Limer.                                | 29. Consideratio diem proxime praeter<br>Classis. Woll.                          |
| 13. In cognitione theoretiis practici. Kibitz.                              | 30. De homine phidico. Lommen.   |
| 14. De corporibus illorum principibus et<br>spectabilibus. Hofmann.         | 31. Ethnographia Musio medica<br>Pöbel.  |
| 15. Corpora motu egressu caecis. Hofmann.                                   | 32. Dea plide erudit. Schütz.  |
| 16. Corpora motu egressu caecis. Hofmann.                                   | 33. De lapidis habitudine ad corpus<br>displacementem et combinationem. Kuchler. |
| 17. Corpora motu egressu caecis. Hofmann.                                   |  |

34. De Infula Natante Gardesicaps: 92. De Principis Paracelsi non suffi-  
 Rysim Longi dala. Hesperoy. entily. Heuer.
35. Jure Belli circa res sacras Buddey. 53. ad nova Philosophia fundamta  
 eras Buddey. scripta seppho. Hofmann.
36. Principio juris naturalis genuino 54. De Propaganda Philosophia sub con-  
 et univ. sal. P. R. u. g. tem. Schneider.
37. Jure Principis circa adia pho- 55. Principe lepty thias seu non divi-  
 ra. Thonafy. nis solus. Buddey.
38. Luonymist gubis vitis. Hagery. 56. Prudentia circa studium agenda. Lae.
39. Laminis Spanno in duki. Goffschalt. 57. Ladion Eparchionty. Hbony.
40. Longevitate mediory. Hagery. 58. Rationis in fronte excellentia in  
 41. Gimme Mayia. Thonafy. rebz diuinis et suis. Hofmann.
42. Magnete spaz effectily. Limeroy. 59. Ruricis eruditione claus. Schroeder.
43. Masticatione mortuory. Lotz. 60. Electy effectily. Limeroy.
44. Mechanicis non Mechanicis. Heuer. 61. Studi sapientia impediments. Spener.
45. Insuperimbrici primis clapparty 62. Successionily Primigeniory. Buddey.
46. secundy Major. 63. Translata in vitam aeternam su. Frans.  
 47. Augusti Boissoni Insuperimbricio. ita p mortem. Poitij.
48. De Natura sibi inuasum vindica- 64. varietate hyeriony. Brendel.  
 ta. Nimm. 65. Per graecum Windny.
49. natura hominis civili. Eckard. 66. De Virtutis simulo. Gollmann.
50. officiorum Theologicoy officio  
 boni medici. Hofmann.
51. Patilyty Romanory. Krayland.

2.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MORALIS

De

ADMIRATIONE,

Quam

OPTIMI NUMINIS AU-  
SPICIO,

*Præfide*

M. TOBIA ECKHARDO;

PRÆCEPTORE SVO OMNI OBSER-  
VANTIÆ HONORISQUE CVLTV PRO-  
SEQVENDO,

In Ill. Quedlei Auditorio Maiori

Die XXVIII. Aug. clo IcccVIII.

*ab Hora VII. matutina.*  
Publicæ disquisitioni exhibiturus est

*Respondens*

IOHANN. TOBIAS Wagner/

Northufa Thuringus.

---

QVEDLIMBURGI,

Literis JOHANN. GEORGI SIEVERTI,

Typ. Aul.

c2.

iis ve-  
s fuisse  
e hisce  
os fuis-  
lib. II.

pulos  
amve  
ipru-  
erræ  
abo-  
utio  
cen-  
um-  
cce-  
em-  
tri-

s à  
um  
di-  
est.  
ur,  
ra-  
le-  
li-  
tè  
ec



VIRO

*Magnifico, Consultissimo & Amplissimo,*

DOMINO

**A N D R E Æ  
W E B E R O,**

Inclytæ Northufanorum reipublicæ seni-  
ori Consuli longe meritissimo, & Lycei, quod  
Northusæ floret, Scholarchæ vi-  
gilantissimo,

*In perpetuæ admirationis & venerationis  
monumentum,*

Primum hunc & rudem studiorum foetum omni,  
qua fas est, animi submissione, cum voto o-  
mnis prosperitatis, & ut Ejus fide & pru-  
dentia salus patriæ diutissime floreat,  
*dicat consecratque*

Respondens  
Auctor.



Σὺν Θεῷ παλάμα.

§. I.



**P**urimum sane refert, apprimeque utile est in vita humana affectus, quibus tanquam stimulis mortalium animi concitantur percellunturque, bene cognitos habere atque exploratos. Cum enim ii, qui virtutum rerumque in communi hominum consociatione præclare excellenterque gerendarum fomenta quasi sunt, si vehementioris sui impetus laxant frenos, & extra oleas, quod dicitur, evagantur, plurium malorum turbarumque in coetu humano fiant irritamenta, necesse habet homo eos probe explorare & investigare, sique ad perniciofa tendunt molimina, temperato rationis usu coercere. Quorum si negligatur cultura, non potest non gravissima & luctuosissima in rebus humanis exoriri tempestas, ut vero verius sit, quod Philosophorum perspicacissimus, accerrimusque affectuum explorator, Cartesius in Observationibus de Passionibus Animæ Art. CCXII. Part. II. præclare effert: *omne bonum & malum hujus vite pendere à Passionibus.* Quare eorum doctrina culturaque maxime necessaria existimanda est, curatioque adhibenda impigra, ut ad negotia humana bene prospereque gubernanda à natura inditos

intra fines limitesque contineamus, & tollenda evertendaque hominum societati aptos sapienti præstantique doctrinæ cultu perdomemus, ne hujus saluberrimæ culturæ neglectum gravissime luamus seroque sapiamus.

§. II.

Hinc vetustissimi sapientiæ cultores in Affectibus rimandis explorandisque laboriosissima laudatissimaque ratione elaborarunt, egregieque tradita præcepta propagarunt ad posteros. Inter illos præ cæteris eminet rigidissima Stoicorum hæresis, quæ plurimum in hac doctrinæ parte desudavit, acutaque ingenia in cognoscendis pervestigandisque Affectibus defatigavit. Cujus doctrinæ caput è Stoicæ Philosophiæ reliquit, à sapientibus extractum haustumque est, & in Compendium misum à D. Niemeiero Diss. de Stoicorum *ant. secta*, C. II. Imprimis in Annæi Senecæ monumentis hujus doctrinæ flosculi sparsi sunt elegantiores. Recentiorum quoque singularis & excellens solertia curaque minime tegenda est silentio, quippe qui suis de Affectibus præceptis egregiam utilemque navarunt operam. Hac e-ximia laudis celebratione haud defraudandus est Cartesius, qui Observationes de Passionibus animæ edidit, quo tractatu nihil affectuum doctrina exhaustiendi investigandaque exactius, post veteres Stoicos, in lucem & adspectum hominum datum est: Quem secutus est laude non minori Joh. Franc. Senault. V. *Gottschling* Introd. notit. novor. Libror. p. 147.

§. III.

Quot vero ejusmodi Affectus sint, non una opinio est sententia, sed discrepant in definiendo eorum numero acutissimi solertissimique morum Magistri. Ad Porticum & Stoam si regrediar, quatuor ejus sectato-

res



res constituebant principes, fecundos aliorum plurium genitores, *letitiam* scilicet, *tristitiam*, *desiderium* & *fugam*. Rechenb. Lineam. Philos. Civil. Part. I. C. VI. §. 3. Expressit hos Princeps Poetarum Virgilius L. VI. *Æneidos*, qui in Poetæ Operibus omnium præstantissimus est, versu 733. *Hinc metuant, cupiuntque, dolent gaudentque*, V. sententiam Virorum Clarissimorum ap. Thom. Crenium de Libris Scriptorum Optimis § 64. p. 45. Et in suo genere non minori laude dignus Horatius L. I. Ep VI. v. 12.

*Gaudeat, an doleat, cupiat metuatve, quid ad rem?*

Vid. Diogen. Laertius. L. VII. C. 110. Ab horum schola non multum recessit supra laudatus Cartesius, cum eorum non nihil auxit numerum. Sex enim commemorat, *Admirationem*, *amorem*, *odium*, *cupiditatem*, *letitiam* & *merorem*, ex quibus reliqui ab ipso recensiti componuntur, suamque trahunt originem. de Pass. an. Art. LXIX. Arctiori spatio affectus includit, & ad duos contrahit Magnum Academia Jeneensis Lumen D. Buddeus, *Appetivum* scilicet sive *Amorem*, & *Aversationem* sive *Odium*, ex quibus cæteri deinde deriventur. Elem. Phil. Pract. Part. I. Cap. II. § LIX. Unum *Amoris* seu *philautias* affectum statuit citatus ante Senaultius.

#### §. IV.

Affectibus ab aliis annumeratur Admiratio, imprimis à Cartesio, & Antonio Le Grand, qui omnes Philosophiæ Cartesianæ partes ex mente istius explicat, styloque tradit suas præceptiones perspicuo & eleganti. Morh. Polyh. Tom. II. L. I. C. XV. qui illi principem locum inter animæ passionum assignant. Cart. Lib. cit. Art. LIII. & Anton. Le Grand. Institut. Philos. Part. IX. C. IX. Sed ex affectuum numero expungit eam Celeb. D. Buddeus, in Elem. Phil. Pract. loc. cit. § XLVI. & inter morbos intellectus refert, Cap. III. § XII. Tantum abest, ut tantos inter viros, acutissimos

mos doctissimosque arbitrum me temerario conatu interponere audeam, ut potius quemvis suis niti rationibus, & laudem mereri præstantissimam eruditi facile concedant unoque ore fateantur. Haud indignum fuit visum hoc de *Admiratione* argumentum, quo de brevis institueretur Commentatio. Quoniam vero nihil quod perfectum ingenio elaboratumque industria sit, à me, qui exigua curtaque doctrinæ supellestile, instructus sum, expectari potest, singularem Lectoris humanitatem benignitatemque imploro, si in perlegendis hisce pagellis parum lectu notatuque digna deprehendet.

#### §. V

Cum itaque nonnulla de *Admiratione* disserere in animum induxerim, vocis origo & genuinus significatus multis haud erit evolvendus enucleandusque, quoniam neminem, qui Latinæ Lingvæ facultatem vel primis modo degustavit labris, fugit, hujus vocis quæ sit notio. Illud fortasse non indignum est notatu, quod *Admiratio* subinde idem sit, quod *veneratio*; quomodo C. Nepos scribit, quod Iphicrates fuerit tam magno animo & corpore, imperatoriaque forma, ut ipso adpectu cuius iniecerit admirationem sui. Sed ne longius vocis rationes accersam, & iis investigandis immorer, quæ parum momenti conferunt ad illustrandum hocce argumentum, statim exponam, quid sit *Admiratio*, quidque per eam intelligendum veniat. Non male mihi interpretaturum quenquam esse autumo, si vestigiis virorum, quos in hoc doctrinæ capite consummata eruditio nobilitavit illustravitque, insistam, eorumque præclare excogitatis imbecilles meas cogitationes superstruam. Cartesius sic eam delineat: *Admiratio* est subitanea animæ occupatio, qua fertur in considerationem attentam objectorum, quæ ipsi videntur rara & extraordinaria. Part. II. Art. LXX. Anton. Le Grand

§. VI.

Quod ut distinctius pleniusque intelligatur, totus admirationis processus, qua scilicet ratione in homine produciitur, corroboratur & conservatur, erit observandus. Primum autem produciitur, ut processum huncce format Carstius Art. LXX. Lib. Cit. ab impressione, quæ exstat in cerebro, quæque præsentat objectum ut rarum, & per consequens dignum maxima consideratione, tum deinde per motum spirituum, qui dispositi sunt ab hac impressione, ut magna vi tendant versus locum cerebri, in quo est, ad eam ibi corroborandam & conservandam. Clarius non minus, puto, quam elegantius D. Buddeus Cap. III. Part. I. §. 10. Primum objectum aliquod per sensus menti offertur: deinde mens insolitum & extraordinarium illud esse deprehendit, & acriori quodam impetu ad illud considerandum se movet, indeque motus quidam corporei, qui objecta insolita consequi solent, sequuntur.

§. VII.

Ex his satis patere arbitror, quod non quævis objecta, quotidiana & familiaria, admirationem excitare animumque commovere humanum valeant, sed rara, insolita atque inopinata, quorum causæ rationesque ignorantur. Præclarus locus extat apud Ciceronem in aureo Officiorum Opere. Quemadmodum hic liber pertinet ad doctrinam de moribus in vita civili inter cœtus humanos ad honestatis prudentiæque regulam componendis formandisque, & omnia ferme hujus præstantissimæ doctrinæ capita continet; Ita etiam de nostro instituto Lib. II. C. X. eleganter præcipit: *Admirantur communiter omnia, quæ magna & præter opinionem suam animadvertunt. Nihil admirationem, docente D. Bud-*

Buddeo Part. 1. C. III. §. XI. *excitare aptum est, nisi insolitum, hoc est, quicquid aut raritate, aut magnitudine, aut eminentia quadam & perfectione se commendat.* Hinc Romani cum Tarentinis, eorumque socio Rege Pyrrho, proelio congressi, ut Justinus commemorat Lib. XVIII. C. I. cum adhiberentur ab hoste in conflictu elephantum, vincentes jam Romani, insueti alias cedendi, inusitata ante elephantorum forma, quia ejus generis animantes insolita raraque magnitudinis nunquam conspexerant, stupere primum, & mox proelio excedere coeperunt. Sicque *victores*, ut loquitur Justinus, *jam nova Macedonum monstra vicerunt.*

§. IIX.

Ad Extraordinaria, quæ mentes humanas in summam rapiunt admirationem, & eas mirandum in modum occupant, quæque humanæ fortis & rationis habitum exsuperant, censeo miracula esse referenda. Placuit enim Summo atque Præpotenti Numini agere nonnunquam per miracula. Hinc in convertendis & ad splendidissimam Evangelii lucem perducendis gentibus Apostoli occupati miracula insignia patrarunt, ut in luto ignorantia hæsitantes gentes, admiratione aculeo quasi instigatæ, ad veram divinamque sapientiam investigandam pertraherentur, eumque solum colerent, qui Auctor rerum insolitarum & admirandorum effectuum esset, Omnipotentem ac immortalem Deum,

§. IX

Deinde oritur Admiratio ex eminentia & perfectione rei alicujus, quæ & ipsa rarior est, ut cum miramur excellentiam operum divinorum, fortitudinem Alexandri Magni, peritiam pingendi Apellis; ita Erabricii justitiam Pyrrhus hostis. Scævola fortitudinem Porsena admiratus est; Demosthenis eloquentia in summum admirationis gyrum adduxit Ciceronem. Quod præclarum admirationis genus viam pandit mortalibus ad laudabilem æmulationem.

§. X. Mul-

§. X.

Multa vero miramur sine ullo aut vitio aut periculo, uti Carthaginis, urbis antiquæ, Virg. Lib. I. Æneid. v. 425.

*Miratur molem Æneas, mapalia quondam,*

*Miratur portas, strepitumque & strata viarum.*

Hinc commode & ad majorem perspicuitatem dividi potest Admiratio in Simplicem atque Compositam. Facem huic divisioni accendit Frid. Rappolti doctissimus in Q. Horatium Flaccum Commentarius, in Epist. v. L. I. ubi in duos veluti ramos eam dispescit, constituitque aliam *simplicem* & affectu liberam, aliam *conjectam* cum eodem. Simplicem geminam constituit subtilitatum pater Scaliger, *Admiratio*, inquit, est interdum ignota causa, tuncque est conjuncta cum dubitatione: Interdum est cognita causa, quoties mir. in conjunctionem cause cum effectu: Tuncque est judicium subtilis cujusdam intellectus. Exercit. CCCXII. Posterior hæc oritur ex eminentia graduum, de qua admirationis specie numero antecedenti aliquid allatum traditumque est: Prior ex ignoratione causæ, facitque animum suspensum in re proposita, propensum in quæstione, ut cum admiramur, quod magnes trahat ferrum, quod mare fluat & resluat, ejusque rei causam simul perquirimus. Alia vero est cum affectibus consociata mixtaque cum gaudio & dolore, cupiditate ac metu. Comment. in loc. cit.

§. XI

Lucem præfert hæc divisio, ut intelligere facile queamus, quo sensu *admiratio* mater & principium dicatur Philosophiæ; quoque fundamento nitantur illi, qui humanæ felicitatis hostem eam pronunciant, & quibus rationibus commotus Vates Venuſinus felicitatem humanam collocet in ἀδυναμια. Nimirum, quamdiu animus humanus admiratione suspensus est, manifestissima suæ inscitæ atque ignorantæ deprehendit argumenta, ut propterea non immerito inter intellectus morbos referat admirationem D. Buddeus. Est enim

B

nim

nim ea cum dubitatione conjuncta, comitemque habet igno-  
 rantiam. Extant hujus sententiæ vestigia etiam apud veteres  
 sapientiæ Antistites, Quod corroboratum it doctissimus A-  
 brahamus Gravius, qui veterum Philosophorum monumen-  
 ta pervoluravit, eorum præstantissimam sapientiam velut in  
 lucem & vitam revocavit, & recentiorum fontes indagando  
 eorum dogmata derivavit ex rivulis vetustissimis, Lib. I. Spe-  
 ciminum Phil. Vet. C. VII. in quo loco annotat, admiratio-  
 nem & dubitationem conjunxisse veteres. Adducit Aristo-  
 telem Lib. I. Metaph. c. II. ita loquentem: *A principio ho-*  
*mines admirati sunt ea, quæ de dubitandis faciliora erant: Deinde*  
*paulatim ulterius procedentes etiam de Majoribus dubitando.* Sunt e-  
 nim certi gradus admirationis. Initio enim res minimæ et-  
 iam, scituque haud difficiles hominum animos in suspensio  
 relinquant, quas cum indagarunt, effectuum reconditorum  
 pulchritudo eosdem anxios sollicitosque tenet. Georg. Pasch.  
 de Variis Mod. Mor. Trad. Cap. II. §. XV. p. 123. Marcus An-  
 tonius, annotante Scheffero, in de Natura & Constit. Phil.  
 Ital. C. VI. γέλαον καὶ ζέον, hoc est, eodem interprete, im-  
 perium rerum, imprudentem & vacuum scientia illum appellat, qui  
 quid admiretur.

### §. XII.

Singularem annotationem observationemque meretur,  
 verbum θαυμάζειν sæpius apud veteres Philosophos pro ἄνο-  
 πῶν usurpatum adhiberique fuisse, & non raro verba dicta  
 conjungi & convenire cum ἀγνοῖν ignorare. Idem annotat Gra-  
 vius Lib. cit. p. 56. & ex Aristotelicæ Philosophiæ sacris se-  
 quentes flosculos delibavit: Ex Lib. I. Mag. Mor. C. XXXV.  
 ubi: Ἄ περὶ τοῦ δ' ἂν τις καὶ θαυμάσει. *Dubitaverit quispiam &*  
*admirari poterit.* & Lib. I. de Gen. & Corr. Cap. III. ὃ ἔχει θαυ-  
 μάσει ἄπορρον, quod miram habet dubitationem. Item: ὃ δ' ἐπορρὸν  
 καὶ θαυμάσει, ὅστις ἀγνοῖν: *qui dubitat & admiratur, putat se ignorare.*

### §. XIII.

Quia itaque species ignorantix est Admiratio, facile ad intel-  
 ligen-

ligendum est, cur homines simplices & imperiti cuncta ferme admirarentur; quia scilicet rei causas rationesque ignorant, nec multum in iis cognoscendis opera studiique ponunt. Parcius vero doctorum atque sapientum animos quatit Admiratio. Hi enim instructi divinarum humanarumque rerum sapientia ignorationem animis excusserunt, & si quid lectu visuque admirandum adpareat, celesime rime possunt perficere & explicare rationes, resque adeo perceptas habent atque pertractatas, ut illorum excultis exquisitisque ingenii nihil facile se subtrahat.

§. XIV.

Hinc tandem illis, qui præclaro hocce admirationis stimulo concitati omnem divinam humanamque sapientiam scrutati sunt, rerumque causas rationesque indagaverunt, fructus redundat optatissimus jucundissimusque, ut nil amplius admirentur. Nam π μ η δ ε ς θ α υ π ὄ ζ ε ν nihil admirari Samius Philosophus Pythagoras inter fructus Philosophiæ retulit, idque se ex diuturno Philosophiæ studio consecutum esse, dicebat, ut nihil admiraretur. Cum enim Philosophiæ primum ortum initiumque dederit Admiratio, ex ignorantia rerum causarumque enata, sequitur, ut qui ejus consecutus sit finem, nihil porro admiretur. Secuti Pythagoræ doctrinam sunt & Stoici & Epicurei, eundemque Philosophiæ fructum inculcarunt. Scheff. de Nat. & Const. Phil. Ital. C. VI. p. m. 54. seq. Georg. Pafchius Introd. in rem liter. Moral. C. IV. §. 7. §. 661. f.

§. XV.

Ex eadem ratione promanat, quod DEUS, Ens illud Summum atque Sapientissimum, nihil admiretur. DEUS enim causa rerum universalium est, & res à mortalium oculis quàm longissime remotas absconditasque solus intime perspicit. Is solus est Omnipotentissimus, ex cuius artificiosissima manu omnia, in oculis humanis admiranda stupendaque, prodierunt. Et quanquam Christus, his in terris cum vitam degeret, affectibus, eo sensu, quo immunes sunt ab omni imperfectione, fuerit obnoxius, Joh. XI. 33. tamen nihil admiratum esse deprehendo, nec sacri Pandectæ ullius admirationis faciunt mentionem. Est enim nota ignorantia, qua Christus, in quo omnes thesauri Sapientiæ erant absconditi, laborare minime poterat. Hinc cum ejus discipuli intuerentur admirabundi stupendum

opus, admirandam magnificamque Templi Hierosolymitani substructionem, maximaque admiratione accensi Magistro ostenderent, ille non pari admiratione excepit hanc artificiosissimam structuram, sed minatus est ei ruinam, prædixitque, intra exiguum tempus destructum iri, cui multa secula timebant discipuli. Matth: XXIV. 1. Risisse Christum etiam non fit mentio in sacro codice; nascitur enim risus ex gaudio subitaneo atque inopinato, quale in perfectissimam Servatoris animam cadere non potest, uti observat Beermannus Lin. Docti inæ Moralis Cap. VII. §. X. etsi nunquam eum risisse dixerit fortasse nemo.

§. XVI.

Cum autem admiratio animos mortalium accendat inflammetque mirifico cognoscendi desiderio, ut non prius quiescant, quam veram scientiam indagaverint, maxime utilis est & salutaris, stimulatque homines ad hauriendam percipiendamque rerum divinarum humanarumque sapientiam. Qui enim insolitos atque inusitados effectus, quorum causæ non statim incurrerunt in oculos, conspexerunt, admiratione perculli ad cognoscendam eorum originem veramque rationem incitati sunt; sic qui eclipsin primo intuiti sunt, statim insolito adpectu in summam tracti sunt admirationem, qua correpti incogniti effectus originem scrutati deprehenderunt, eam fieri, si luna inter terram & solem intercederet. Vid: Anton. Le Grand Institutio Phil. Part. X. C. XIV. §. 2. His causis permoti tam eximius elogiis admirationem exornarunt, eamque primam Philosophiæ occasionem & velut matrem nuncuparunt. Hinc tritum illud, quod Platoni tribuitur: *Διὰ τὴ θραυμάζειν οἱ ἀνθρώποι ἤρξαντο φιλοσοφῆν*, propter admirationem homines ceperunt philosophari: *Ἐκ αἰτῆς ἀρχῆς φιλοσοφίας, ἣ τὴ θραυμάζειν*, non alia origo Philosophiæ est, quam admiratio. V. Scheff. de Nat. & Const. Phil. Ital. Cap. VII. Rappolt. Com. in locum superius citatum. Gravius L. I. Spec. Phil. Vet. C. VII.

§. XVII.

Hactenus de Simplicè, cujus ope atque adminiculo incitatur ad investigandas rerum causas. Nunc de Composita admixtaque affectibus, gaudio, dolori, cupiditati & metui nonnulla exposte explicatæque ut tradamus, instituti ratio postulare & exigere vide-

tur.



tur. Quæ cum occasionem præbeat perturbationibus rerum humanarum, animumque in sedato tranquilloque statu collocatum de sede sua statuque dimoveat, felicitatemque humanam perturbet obnubiletque, quivis facile perspicit, hanc innui à Poeta Horatio, qui Epist. VI. Lib. I. ita canit:

*Nil admirari prope res est una, Numici,  
Solaque quæ possit facere & servare beatum.*

Cum enim alia in nobis sita sint, ut loquitur Rapp, in Comment. loco alleg. alia vero extra nos posita; hæc si ita admiramur, ut optemus etiam & cupiamus, aut eis contraria metuamus, elati gaudio, si consequimur, dejecti dolore, si frustramur, quoniam hinc graves existunt animorum motus, humana felicitas in eo consistere nequit; ac potius singulorum perturbationibus lædi communis vitæ societatem ac convelli rempublicam necesse est.

§. XVIII.

Hinc objecti natura atque indoles penitus est inspicienda, cautiōque magis adhibenda, ne admiremur eas res, atque percellamur, quæ nulla admiratione dignæ sunt; Cart. L. de Pass. an. Art. LXXI. Conqueritur de hujus admirationis malignitate Seneca, quem Lipsius, annotante Drexelio in Aurifodina part. I. c. IV. inter omnes veteres scriptores laudatissimum & virtutis studio pene Christiani veteres veneratus est, *Admirationem*, inquit Epist. XCV. *nobis parentes auri argentique faciunt & teneris infusa cupiditas alius sedit crevitque nobiscum*; Et Cicero, qui acrem se virtutum pariter ac vitiorum judicem in officiorum Libris præbet, quorum Librorum laudes duabus Orationibus complexus est Philippus Melanchthon, communis Germaniæ Præceptor, hanc noxiam & juvenibus maxime perniciosam admirationem deprehendit, *corrupti mores* inquit, *depravati sunt admiratione divitiarum*. Lib. II. C. XX. Silentio ut præteream alia, quæ iniquis rerum æstimatoribus injiciunt admirationem, panduntque viam ad tollendam hominum confociationem; quam quis cum Poeta stultam haud immerito vocaverit, quando canit Epistola I.

*Nec cures ea, quæ stulte miraris & optas.*

§. XIX.

Et hoc etiam non prætereundum est silentio, quod si externum

objectum non adsit, homo sibi ipsemet sit objectum; quæ admirationis species multas habet cautiones, ne dum homo nimium æstimet admireturque eximias suas dotes quibus instructus præ cæteris est atque exornatus, alios præ se contemnat, & miro sese factu atque insolentia efferat; quæ corruptæ sui existimationis origo est, filia suberbia, fœcundaque plurium generis vitiorum. Cum enim ea sibi arroganter tribuat, quæ non habet, vel saltem tanta non sunt, quanta existimat, vitio non caret, & bonæ frugis non solum impedimentum est, sed & calamitatis certissimæ mater, id quod Narcissi figmento significarunt Poetæ. In omni ea vitæ genere locum habet, & in literario ea qui sunt afflati, vel parum promovent, vel dictaturam sibi quandam vindicant, vel infelicis Philautiæ augent exempla. Vid. Morh. Polyh. L. I. C. XV. §. 12. f. Prudentes qui sunt, modeste de se sentiunt & ignorantia nomen in pluribus subeunt, illudque Danielis Heinsii alta mente reponunt: *Quantum est, quod nescimus!* Quod si nostras vires, quantum valeant exploramus, earumque deprehendimus imbecillitatem, atque animadvertimus, nos ad illud, quo alii jam felicissimo gressu penetrarunt, nondum pervenisse doctrinæ cacumen, præclara hæc est animi meditatio, nostrique gignit contentum, idque efficit, ut eos, qui excellentioribus dotibus instructi præ cæteris eminent, admiremur, eosque imitari impense conemur, eos maximo opere suspiciamus. In qua specie latet animi demissio. Cartes. Art. LIV.

§. XX.

Hactenus admirationem, prout ea in homine, qui e mente & corpore conflatus est, invenitur, consideravimus. Sed quæsierit aliquis, an etiam in bestias brutasque animantes, cadat admiratio? Cum isdem etiam objecta insolita offerantur, quæ motum extraordinarium spirituum animalium, qui motus proprius & peculiaris huic affectui est, in illorum cerebro efficere possint; merito in his admirationis quædam species & imago statuenda est, quæ scilicet ad corpus tantum pertinet; si vero quæstio exaudiatur de mentis, quæ cum cogitatione vel reflexione, quam vocant, conjuncta est, admiratione negate omnino respondemus. Vid. D. Budd. Lib. I. Cap. III. §. IX.

§. XXI.

Nunc de usu atque utilitate admirationis, quam in vita humana  
præ-

præstat, annectemus nonnulla. Magna enim & insignis vis est admirationis in coetu hominum celebrando, & longe lateque se diffundit. Primo ejus singularis utilitas elucet in rebus divinis, quæ angustum suisque circumscriptum limitibus rationis humanæ captum exsuperant, mentesque humanas in summam adducunt admirationem. Has enim præstat & tutius est mirari, quam iis cognoscendis conatu nimium laborioso rimari. Cum enim ratio humana ad admiranda illa sapientiæ divinæ templa penetrare & inexhaustam illam arcanorum abyssum indagare nequeat, necesse est solitos scrutandi modos relinquere, animumque fidei adjumento ad sanctam quandam devotamque admirationem conformare. 1. Cor. II. 14. 2. Cor. X. 5. *Nam qui scrutari malunt occulta cum discrimine, quam absque crimine nescire, damnabilem produnt curiositatem*, bene scribit Arrowsmid Tacl. Sac. p. 46. Et Scaliger. *Nescire velle, quæ magister optimus nescire nos vult, erudita inscitia est.* V.D. Sontagii Diss. de ignorantia Theologorum laudabili.

§. XXII.

Inservit admirationis singularis vis atque efficacia rebus memoria tenaciter comprehendendis. Commendat eam utilitatem iterum iterumque citatus Cartesius, Art. LXXV. *De admiratione, inquit, potest dici, eam esse utilem in eo, quod efficit, ut discamus & retineamus memoria nostra, quæ antea ignoravimus.* Memoria enim humana segnis est, infidelis atque volatilis, & parum fideliter commissa, nisi suis fulciantur subsidiis, facile effluunt & fluminis ritu dilabuntur. Ut vero res altius memoriæ inhaerescant, omni ope nitendum est, ut cum aliquo affectu rem percipiamus, ad quod tamen nullus aptior, nullus accommodatior & rebus memoria servandis efficacior, quam admiratio.

§. XXIII.

Nec minor in Oratorum campo admirationis obtinet utilitas. Quemadmodum magnæ gravesque Rhetorum exstant præceptiones de Affectibus in auditorum animis movendis excitandisque; ita affectus admirationis non sterilis est, sed maxime foecundus. Paucis id oratoribus datum est, ut sui excitent admirationem, qui etiam facultatis dicendi finis non est; artis tamen est in auditoribus admirationem concitare, ut personam vel rem, de qua dicimus, æstiment, ament, venerentur. V. Vincentius Placcius in Access. Rhet. P. I. C. VI. p. 131. nec non Prompt. Invent. Orat. II. §. 1.2. Hinc Poetæ, quos *Patres ducesque sapient-*


*pienitæ* Plato divinis cognominavit, fingunt excogitantque insolita atque inusitata, ut hominum animos suspensos admiratione teneant, alliciantque ad indagandam variarum rerum sapientiam, quæ sub tabularum involucrio sæpe tecta absconditaque latet.

§. XXIV.

Quin etiam in re civili admirationis utilitas enitescit, si princeps & moderator reipublicæ impericæ multitudini sui injiciat admirationem. Etenim per eam consequitur, ut in civium suorum animos influat, infligetque eos ad sui venerationem, & facile ad nutum suum voluntatemque pertrahat. Quo pertinent Regum insignia habitusque splendidior, & apud Orientales varior conspectus, Boecl. Diff. Acad. de Aulp. reg. p. 187. & 728. sq. Forstner. Not. Pol. ad Tac. p. 199. seq. De Macedonibus scribit Curtius, quod Regis Alexandri M. admirationi quantum dediti fuerint, & charitate flagrarint, haud facile diducit. Lib. III. C. 18.

§. XXV.

Uberimus fructus pulcherrimaque merces ex hac admiratione redundat præclaræ indolis adolescentibus, qui animum suum ad literarum doctrinæque studia adjunxerunt, si ad Romanæ juventutis exemplum viros excellentioris doctrinæ principes admirentur, & ante oculos semper habeant collocatos. *Eos enim viros, ut loquitur Romanæ eloquentiæ os Cicero Lib. II. Off. C. XX. suspiciunt, maximisque efferunt laudibus, in quibus existimant, se excellentes quasdam & singulares virtutes persequere.* Nisi admiratione profectus fuisset præceptorem Aristoteles, non ei tot annos navasset operam. Hinc si Platonem *divinum* non vicit, proximo tamen secutus est intervallo. Cicero admiratus est Demosthenis eloquentiam, ut neminem magis græca lingua loquentem miratus sit, suecessu felicissimo, ut nullus Oratorum inventus sit, qui ei palmam hujus præstantissimæ laudis præriperet. Quoniam itaque admiratio viam pandit hominibus, uti superius declaratum fuit, ad variarum rerum cognitionem hauriendam, commendatam eam sibi habent solertes juvenes, virosque consensu eruditorum in fastigio doctrinæ præstantiæque collocatos admirantur, eosque omni animi contentione flagrantique studio conantur imitari, quo virtus eorum pietasque & in haurienda eruditione felix progressus indies laudabilis enitescat, & tandem aliquando rebus humanis magnæ sint utilitati atque admirationi.



AB: 155 159

ULB Halle 3  
002 673 711




17

56.

1107







2.  
Q. D. B. V.  
DISSERTATIO MORALIS

De  
**ADMIRATIONE,**  
Quam  
**OPTIMI NUMINIS AU-  
SPICIO,**

*Præfide*  
**M. TOBIA ECKHARDO;**  
PRÆCEPTORE SVO OMNI OBSER-  
VANTLÆ HONORISQVE CVLTV PRO-  
SEQVENDO,

In Ill. Qvedlei Auditorio Maiori

Die XXVIII. Aug. clō IcccVIII.

*ab Rosa VII. mathematica.*  
Publicæ disquisitioni exhibiturus est

*Respondens*

**IOHANN. TOBIAS Wagner/**  
Northufa Thuringus.

---

QVEDLIMBURGI,  
Literis JOHANN. GEORGI SIEVERTI,  
Typ. Aul.

22

